UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

17. Sit laus Deo Patri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

Dæmonum nobis adverſantium, tum Tyrannorum Chriſtianæ genti infeſtorum.

Denique, gaudij multa ſeges eſt Beatis ex periculis quæ evaſerunt, dum hic cum timore in terris
De ciuit. l.19.c.27. agerent. De hac re ſic loquitur S. Auguſt. *Quamdiu viti repugnamus, pax plena non eſt: quia illa quæ reſiſtunt periculoſo debellantur prælio; & illa quæ victa ſunt, nondum ſecuro triumphantur ocio, ſed adhuc ſollicito premuntur imperio. In illa autem die præcipitabit Dominus mortem, & lætitia erit ſempiterna ſuper capita eorum, qui conſcenderint æternitatis illum montem.* Hinc meritò à Virgine petimus, & repetimus, vt ad illum Montem iter nobis paret tutum, vt in illo ſemper collætemur, tum cum Chriſto, tum cum ipſa, tum cum Angelis, tum cum alijs
Pſ.123. Electis, congratulantes inuicem, quia *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Huiuſce lætitiæ de ſocietate Sanctorum quibuſdam Deus inſtillauit prægustum quemdam & promulſidem in ipſa morte. Audi de S. Maria Ogniaca Jacobum Cardinalem Vitriaco, ſic id deſcribentem. *Iam tempus, inquit, promiſſum advenerat, quod multis lacrymis & ſuſpirijs poſtulárat: & ecce factus eſt in ea ſonus epulantis & jubilationis, vox confeſſionis & laudis. Exterſitq; Dominus omnem lacrymam ab oculis ancillæ ſuæ, replens cor eius exultatione. Cœpit enim alta voce cantare, nec ceſſauit ſpatio trium dierum & noctium Deum laudare, ſuauiſſimas edens cantilenas. Primò de Deo trino & vno, de eius vnitate & trinitate ineffabilia pronuncians è ſcripturis diuinis, eas nouo & miro modo exponẽs, ex Pſ. ex Evan. veteri & nouo teſtamento. Secundò cantabat canticum nouum de Chriſti humanitate & incarnationẽ. Tertiò deſcendebat ad Virginem. Quartò de Angelis. Quintò de Apoſtolis. Sextò de Martyribus, & alijs Sanctis mira canebat latinè & rhitmicè ſine hæſitatione: quaſi dictarentur ſcribenti, ſic dabat ei Dominus quod diceret, nec laborabat. Expletis tribus diebus iubilationis ad ſe reverſa, accitis Fratribus, dixit: Præceſſerunt Lamentationes, me pro peccatis lugente: præceſſit Carmen, me propter bona æterna iubilante: ecce ſequitur Væ infirmitatis & mortis. Non ſumam deinceps cibum, nec legam in hoc codice. Sic tradens Fratribus libellum precum; ſe Domini reſignauit voluntati, in ſilentio & ſpe illum expectans. Adventante autem hora, Dominus ei oſtendit portionem hæreditatis ſuæ, & locum gloriæ ſibi paratum. Sic exultauit, & in fine Alleluya decantauit.* Hæc Cardinalis Vitriaco, in vita eius.

Notum eſt de S. Nicolao Tolentino, quomodò ſex ante mortem menſibus audiuerit concentum Angelorum, ſicque gaudia æterna prægustâ it. Tandem ei Christus Ieſus apparuit cum Maria Matre ſua, & Sancto Auguſtino, eumque ſuauiſſi-
Matt.25. mè his verbis inuitauit: *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Adijciamus & hanc hiſtoriam pro concluſione, ex Chronicis Carthuſiæ Majoris, in quibus ſic habetur: In Carthuſia *Majori fuit vir magnæ deuotionis, D. Petrus Favory, qui & Procurator poſtea totius ordinis eſt effectus. Cum autem ex obedientia in vrbe* Ex Chrõ. Carthuſ.
quadam ageret pro negotijs Ordinis, grauiſſima fuit infirmitate detentus. Ad eum viſitandum venit D. Hupertus Prior Boni Paſſus, cuius adventu gauiſus æger dixit: Frater tu me trades ſepulturæ. Sciensq; finem ſuum adeſſe, facta confeſſione, & viatico accepto, extrema Vnctione munitus eſt. Cùm autem D. Hupertus ad horam abeſſet, Satan ægri lecto aſtitit, volumen portans, in quo peccata totius vitæ eius deſcripta erant; quæ & ei exprobrabat, vt ad deſperationem induceret. Ipſe tremens non poterat aliud reſpondere, quàm ſe confidere in illorum facta confeſſione. Nihilominùs mira tentatione eum Satan ad deſperationis barathrum adigere conabatur: etiam videbatur caſurus, niſi ſuperna eum clementia reſpexiſſet. Aſſuit enim ſubitò B. Virgo, mœſtorum ſolatium, deſperantium fortitudo, puerum Ieſum in vlnis ferens, & dicens. Frater, cur times? Per hunc Filium meum omnia tua peccata dimiſſa ſunt. Hinc Satan confuſus, abſceſſit, illo quoque egreſſo, Maria diſparuit. Infirmus autem exinde indicibili exultatione repletus permanſit. Cumq; dictus D. Hupertus rediſſet, ei viſionem cum gaudio enarrauit. Demum nocte ſubſequente perſolutis Matutinis, etiam 7. Pſalmos pœnitentiales cum lætitia recitavit. Et cùm veniſſet ad finem Litaniarũ, eleuans digitũ dextræ manus, adiũxit: Omnes Sancti, qui modò hîc adeſtis, orate pro nobis. Hæc verba ſæpè repetens cum feruore, ſpiritũ Deo reddidit.

Ex his ergò ſatis eluceſcit, quomodò B. Virgo ſuis cultoribus iter paret tutum: quomodò etiam eis quandoque in fine vitæ oſtendat Ieſum benedictum: quomodò denique eos introducat ad ſocietatem & lætitiam Sanctorum.

LECTIO XVII.

Thema. *Sit laus Deo Patri, &c.*

EPILOGVS.

OMnes laudes, quæ Mariæ tribuuntur, omniſque eius gloria, ſpecialiter in Deum refunditur, & in tres perſonas SS. Trinitatis: Quandoquidem ſpeciali priuilegio ſit Filia Patris, Mater Filij, Sponſa Spiritus ſancti, gloria Filiæ refluit in Patrem, gloria Matris in Filium, gloria Sponſæ cœleſtis in Spiritum ſanctum. Immò ipſa in qualitate Matris Deum Patrem reſpicit & adorat ſpecialiter in proprietate ſua perſonali vt Patrem, cum quo habet communem Filium. Reſpicit quoque & adorat ſpecialiter Filium vt Filium in proprietate ſua perſonali, tamquam terminum & effectum ſuæ maternitatis in aſſumpta natura. Denique, Spiritum ſanctum ſpecialiter reſpicit & adorat in proprietate perſonali amoris, tamquam auctorem & principium ſuæ fœcunditatis, & vnionis in vtero ſuo fictæ inter naturam diuinam & humanam, mediante puriſſimo ſuo ſanguine. Propterea ergò, cùm Mariæ laudes cecinit Eccleſia, meritò pro Epilogo adijcit: *Sit laus Deo Patri, Summo Chriſto decus, Spiritui Sancto tribus honor vnus.* Qui ſi di[illegible]

Cur Eccleſia hũc Epilogum Marianis laudibus adiecerit.

[illegible]

1. Primò, *Sit laus Deo Patri*, tamquam Patri Mariæ, ſimulque tamquam Patri eiuſdem cum ipſa Filij. Sit decus Chriſto, tamquam Mariæ vnigenito Filio ſicut & Patris. Sit laus Spiritui ſancto & honor, tamquam eius Sponſo & Fecundatori.

2. Secundò, *Sit laus Deo Patri*, de cuius ore prodiuit primogenita ante omnem creaturam per prædeſtinationem & electionem. *Sit laus & ſummo Chriſto decus*, qui eam oleo lætitiæ præ conſortibus repleuit per diuinam vnctionem & vnionem. *Sit laus & honor Spiritui ſancto*, qui eam exornauit omnibus ſuis donis.

3. Tertiò, *Sit laus Deo Patri*, propter Mariæ creationem. *Sit Summo Chriſto decus*, propter Mariç redemptionem. *Sit Spiritui ſancto honor*, propter Mariæ ſanctificationem. *Sit Trinitati indiuiduæ laus indiuidua*, propter Mariæ glorificationem.

4. Quartò, *Sit laus Deo Patri*, qui ſuam Mariæ communicauit potentiam. Sit ſummo Chriſto & Filio Dei decus, qui ſuam ei communicauit ſapientiam. Sit honor Spiritui ſancto, qui ſuam ei communicauit bonitatem.

5. *Hom. contra Neſtorium.* Quintò, *Sit laus Deo Patri*, qui eam conſtituit omnium noſtrorum Matrem. Sit ſummo Chriſto decus, qui eam diuini ſui operis & redemptionis conſtituit Adjutricem. Sit Spiritui ſancto honor, qui eam voluit eſſe ſalutis & ſanctificationis noſtræ Mediatricem.

Hæc omnia ponderans, ſic Mariam alloquitur S. Cyrillus Alexandrinus. *Per te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur & adoratur toto orbe terrarum. Per te exultat Cœlum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur Dæmones, & homo ipſe ad Cœlum reuocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, cõverſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ. Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei Filius, vera illa Lux, effulſit ſedentibus in tenebris & vmbra mortis. Per te Prophetæ pronunciarunt, per te Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt. Quis poterit tuarum laudum encomia explicare Maria Mater & Virgo?* Hæc ille, Epinicia canens Mariana poſt victoriam reportatam de Neſtorio eius hoſte.

Omnia verò hæc encomia Mariæ in Trinum & vnum Deum refluunt, vt diximus, quia Maria opus eſt perfectiſſimum totius Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra, poſt humanitatem Filij: ideoque hic concluditur per hæc verba: *Tribus honor vnus*; quia cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, ſingulis Trinitatis perſonis ex hoc opere ſuo perfectiſſimo æqualis prouenit & indiuiſus honor.

Hoc ſignificatum videtur S. Virgini Gertrudi, de qua ſic legitur, *li* 4. *cap.* 12 *Inſinuationum diuinæ pietatis. In die Annunciationis Dominicæ, ſub Matutinis, dum cantaretur Aue Maria, vidit tres riuulos efficaciſſimos, procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, cor Virginis Matris ſuauiſſimo impetu penetrare & de corde ipſius rurſum efficaci impetuoſitate ſuam originem repetere. Intellexit autem ex illo influxu Sanctiſſimæ Trinitatis, hoc Beatiſſimæ Virgini donatum, quòd ipſa eſt potentiſſima poſt Patrem, ſapientiſſima poſt Filium, benigniſſima poſt Spiritum ſanctum. Agnouit etiam, quod quoties Salutatio Angelica cum deuotione recitatur, prædicti riuuli efficaciori impetu ſuperabundantes, circumfluunt Beatiſſimam Virginem. Et ex altero reinfluunt cor eius ſanctiſſimum; ſicque cum mira delectatione repetunt Fontem ſuum. Ex illa autem redundatione, vena quædam gaudij & æternæ ſalutis reſperguntur in omnes Sanctos & Angelos; & inſuper in illos, qui in terris commemorant illam ſalutationem, per quam renouatur omne bonum in ſingulis, quod vmquam per ſalutiferam incarnationem Filij Dei ſunt adepti.* Hæc ibi. Itaque à Maria gratia, gaudium, lætitia in nos quidem profluit, ac in beatas animas; refluit autem tota laus & gloria in Sanctiſſimam Trinitatem, tamquam in originem & fontem omnis gratiæ, gaudij & lætitiæ, laudis & gloriæ, quæ in Maria reperitur, ac per eam alijs communicatur. Sic rectè poſt omnes eius laudes & præconia hîc canimus & repetimus:

Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui ſancto
Tribus honor vnus.

Concludo ergò hoc Opuſculum Marianæ Laudis verbis Viri pientiſſimi noſtri ſæculi, & dico: *A te Auguſtiſſima Regina, quam ſine fructu nullus implorat, etiam atque etiam reuerenter oro, vt hoc qualecumque obſeruantiæ erga te meæ teſtimonium ratum habere velis. Non ſum ego Ephrem, fateor, vt cum illo dicere audeam: Dignare me laudare te, Virgo ſacrata: Nec ſum Damaſcenus, vt nouos Hymnos dignitati tuæ ſpondeam: nec Ildephonſus, vt ob ſuſcepta pro te certamina proprio munere coboneſter. Satis præmij retulero, ſi me albo tuorum, non dicam amicorum aut filiorum, ſed clientulorum & ſeruorum ſaltem adſcribi patiaris.*

FIAT, FIAT.

OPVSCVLVM II. MARIÆ AVGVSTÆ FIMBRIÆ VARIEGATÆ,

Siue DE VARIIS CELEBRITATIBVS & Congregationibus Beatiſſimæ Matris.

PRæclarè inſtitutum eſt pleriſque in locis, vt Virginis Deiparæ laudes ſingulis menſibus ſpecialiter decãtentur, ſiue in Sodalitio Roſarij, ſiue in Sodalitio Carmeli,